Speronowie Joachimi: Debitum pietatis Adm. Rev. D. D. Jacobo Vitellio –

DEBITVM PIETATIS.

Admodum Reuerendo & Excellentissimo D.
IACOBO VITELLIO,
S. Theol: Doctori, S. ANNæ Canonico, Collegæ Maiori, Regio Professori, Præceptori fauentissimo; in reditu ex Italia auspicatissimo.

A

M. JOACHIMO SPERONOWIC,
Collega Minore discipulo acceptorum non ingrato beneficiorum, demiße ac libenter oblatum.

Anno D. M.DCXXXVIII. 12 Nouemb.

CRACOVIÆ,
In Officina STANISLAI Bertutowic.

Xenophon de præfectis qui apud Persas viris quoq; & senioribus dabantur.

SI quem intellexerint gratiam non referentem cum possit, in eum etiam seuerè animaduertunt. Nam ingratos homines, inprimis erga Deos, parentes, patriam, amicos, esse negligentes arbitrantur. Quin & impudentia, potissimùm ingratitudinem comitari videtur, quippè quod hæc vna omniũ maxima dux ad turpissima quæq; censeri debeat. Lib: 1. de institu: Cyri Persarum Regis.

DEBI

DEBITVM PIETATIS.

QVòd ſaluus ac integer, amæno ab Heſpero,
Quòd glorioſo auguſtior ſacri gradu
Honoris adſis; quod valens, gratus pijs
Patribus, & almæ matris omnibus ſimùl
Conciuibus, tum fratribus vultum bonis
Referas ſerenum, Phæbus vt refert facem
Mundo coruſcam, dona tot ſimul ferens,
Præceptor: (hoc enim magis nomen mihi
Pium videtur, eſto Doctorem ſacræ
Veneror ſcientiæ, ſimulq́; gratulor;
Quod vota ſummus gratiâ ſuâ Deus
Noſtra, tuaq́; pariter, ac bonorum ciuium,
Firmârit ad laudem ſuam, & matris decus.)
Pleno facis iam plurimùm nos pectore
Haurire lætitiæ, boniq́; ſpiritus.
Lætamur inquam, maximisq́; gaudijs
Recreamur, omnes qui tibi affectu bono
Nos debitos agnoſcimus. Quid ni hoc precor
Faciamus, haud ſimulanter, imò candide?
Lætiſsimam cum cernimus promptiſsimè,

 Soluere

Soluere parentem vota ſummo Principi,
Veneratione ſupplici, DEO Optimo:
Quod intuetur, auſpicatò ſoſpitem
Rediįſſe prolem Te optimam, gratum decus.
Ac mille doctis vocibus profert palàm,
Numine benigno redditum natum ſibi,
Saluum, vigentem, gratioſum, floridum;
Pietate moribus ſacris, æqui & boni
Tenore clarum, fortium exemplar quoq́;
Præſtans virorum, qui nec aduerſis cadunt
Nec proſperis nimiùm efferuntur mobiles
Magna virum probitate, candore, & fide;
Magnoq́; conſilio, neceſsitatibus
Vrgentibus quibuslibet; præſtantiâ
Scientiarum, non leui tot temporum
Labore quæſitarum, & actis, arduum.
Virtutis almæ, vindicem clariſsimum.
Riſiſse tandem, vt mæſtiores hactenus
Poſt orbitatem, quando cernimus Lares,
Quid ni libenter hanc eis lætam diem
Congratulemur, maximè cum poſſumus,
Imò tenemur. Ego quidem tenuis licet,
Iam iam, ſuperno Numini grates ago,
Veniſſe cum video ſuperſtitem Patrem,

Quem

Quem plurimorum vota poſcebant diu,
Sine quo (licet tanta ſit maieſtas loci
Et lux Lycæi,) inter tot & tantos viros
Neſcio quid ampliùs, tamen viſum mihi
Perſæpè non adeſſe: niſi ſenſus meus
Decipitur, & amor, quem gero ſemper pium,
Geramq́; dum viuam, optimè ô dux & parens.
Ætatis eius, quā bonus cultu graui
Exercuiſti, moribus, ſtudijs bonis.
Aguntq́; mecum, turba alumnorum grauis,
Vitæ, ac honoris percupidorum Tui.
Te plurimi ſuſpirijs & vocibus,
Animisq́; ſæpiùs requirebant ſuis.
Heu quando ſanctis ſoſpitem Penatibus,
Auguſta reddes Roma, Patronum, Patrem,
Decusq́; noſtrum: pauperum ſolatium
Satis efficax, in diuitis Gazæ minùs
Opibus. Parentem ô Roma patriæ dato
Voces pupillorum rogant, querulæ ſatis.
O mihi quot auditæ pio plenæ ſono:
Citonè? citius aduolet, amans noſtri pater.
Præceptor adſis ſoſpes, & remees Tuis
Felix alumnis; gratus omnibus veni.
Ægyptio pluſquàm calemus gratiùs.

Feruore mentis; gratitudinis piæ
Cuncti æstuamus ignibus; iam pauperum
Votis petitus adueni tandem libens.
Sic te Patronum sæpè poscebant Tui
Veri clientes, optime ac doctissime
Præceptor: hæ voces eorum erant graues.
Sed iam facessant, iam querelæ desinant,
Adest petitus omnibus votis pius
Patronus & præceptor, en felix adest,
Iam tædia, ac suspiria, inter plurimos
Audita cessent pauperes, venit Pater.
Præstans Lycæi lumen, & sydus bonum.
Lætissimus cunctis hic illuxit dies
Suis alumnis, qui nouas laudes canunt
Summo Tonanti, quod vident iam sospitem.
Quid Sarmates quà nobilis latè patet,
Ac vrbium præstantiores tot viri,
Regni Poloni, qui Tui sat cognita
Documenta sumpserunt laboris, cum suos
Natos, alumnos ac Tuos, tum moribus,
Tum litteris persentiunt rectè excoli
Cunctinè quamprimùm sibi vultus Tuos
Feruore magno optare visi? quo bonum
Commune, natis promouendum patriæ,
Quondam

Quondam benignæ gratias matri queat
Habere, fas vt mandat & pietas ſacra,
Qui cum rediſſe Te valentem iam audiunt,
Lætantur omnes, filiorum gratiâ.
Publica ſonoris peruolat vox compitis,
Redijt nè tandem ab vrbe mundi Principe?
Conſpicua virtus, gratiæ, modeſtiæ,
Benignitatis candidæ, prudentiæ,
Integritatis, quæ ſacrum decet virum.
Scientiarum plurimarum continens
Pleniſsimum pectus, redit iam Craciæ
Veteri & ſcholæ regni IAGELLO REX Tui.
Cumulata lætatur pio affectu domus.
Cunctis reſtitutus dies feſtus nitet.
Gratiſsimis plena omnia adſunt nuntijs,
Qua dignitate, in publico mundi loco
Qua celebritate tot virorum, quos ſacra
Vrbs habet, in omni genere verſatiſsimos
Virtutis, & ſcientiæ: quoue omine,
Sacros honores ſumpſeris, quos laudibus
Cœli Monarchæ, mox libens impenderes,
Labore ſancto maximo patriæ bono.
Commota Roma fluxit actutùm, ſuo
Nouos honores gratulatura & libens

Congra-

Congratulata est hospiti suauissimo.
Tenax amoris vinculum, per tempora
Diuturna seruatura, amici candidi.
At causa quæso quæ fuit tantæ viæ?
Debuit enim grauissimo niti probum
Factum Tuo examine; sed isthæc iam patet;
Momenta rerum plurima in se continens.
Pietas bonum primarium mentis, fuit
Vel maximè in causa reor, quæ suaserat
Viam probandam, vsu Patrum tritam satis.
Patris & Beati CANTII exemplo pio,
Qui sæpè voluit visere augustum decus
Vrbis sacratæ, incommoda ac tot perpeti.
Pietatis ergô: filius tanti Patris,
Ingressus iter ausu es pio & bono potens.
Ithacus Vlysses iudicatus clarior,
Cum multa obiuit gentium sæcli sui
Præclara regna, Principes & maximos.
Prudentiam nam colligunt magni viri,
Populos remotos spontè visendo, graues.
Quorum instituta, iura, moresq; adnotant.
Nec litterarum gratiâ susceptum iter,
Sat namq; cultus gloriâ es tot artium,
Linguæ disertæ nec minùs facundiâ

Præstas;

Præſtas, tot auctus diuitis venæ bonis.
Maiora prudens mente voluiſti Tua,
Et ſanctiora, quo Patris noſtri libens
Rebus dares Te CANTII, & patriæ ſimul
Quacunq; poſſes, cum modus, tempus, locus,
Et res vocarent, his potiſsimum Tuam
Induſtriam tum deditam, fas noſcere.
Quid mole curarum fatigatam graui,
Recreare mentem, ſi liberet non nihil
Conſpectu amæno ciuitatum & vrbium,
Quibus Italia Germania & clarè nitent.
Quis hoc negaret optimus, quin veriùs
Quis non rogaret, ſpontè parceres Tuis
Viribus, amænas viſitans vrbes, domos,
Commotus affectu pio & laudabili.
Vidiſſe Romam gentium ſpectaculum,
Summam vetuſti ſæculi, ſummam noui,
Sacri Senatus verticem, mundi caput,
Eccleſiæ Patrem, Patrum ſummum, optimum,
Quem mundus exporrectus hîc ſolum vocat,
Vidiſſe paruum eſt? Principes, Paulum, Petrum,
Socios beatos Pontifex CHRISTE ô Tuos
Animo ſalutaſſe anxio non hoc ſacrum eſt?
Terram rubentem Martyrum tot ſanguine,

Tetigiſſe

Tetigiſſe, luſtrauiſſe, non res inclyta eſt ?
Fidei ac honoris vindicem ſemper locum;
Cultusq́; veri, ſponſa quem CHRISTI fouet:
Quo vno, Monarcha maximus noſter DEVS,
Colitur potens, per ſæculorum ſæcula.
Vnicus in æterna manens ſubſtantia
Trinusq́; ; Natus, cum Patre, ipſe ſpiritus
Diuinus, à quo cuncta procedunt Deus,
Spectaſſe Romanam tot arcem Principum,
Vidiſſe Reginam inquio tot gentium,
Si quis minori dignitate quàm poteſt
Permetiatur, fallitur plùs arbitror
Nimiò ; vetus Sanctiſsimi arx eſt Numinis;
Quam fouet amatq́; maximè Trinus Deus
Et vnus : ad laudem propagandam ſuam.
In hac refulgent dona tot ſanctiſsima,
Florentq́; , cultus, & ſacræ fidei in Deum,
Myſteria auguſtiſsima, hîc regnum tenent.
Cum robur aſſeruant vetus, clarum, pium.
Quo fit, Tiaræ vt triplici pronus cadat,
Oriens & occidens ſimul, quamuis ferox
Prædator ille gentium, auſus eſt iugo
Graui, nefandi regna tot ſeruity,
Premere, dolendū quod magis, prædo impius

Pietate

Pietate vera neminem imbui sinit.
Ast aderit en iussu Tonantis maximi,
Tempus beatum, quando ouile vnum, sacro
Pastore quoq; gaudebit vno, Maximo
Pontifice Romano. ô beatum sæculum
Cum mundus & iam supplices tot Principes,
Ibunt Monarchæ mox daturi gloriam
Summo, quem adorari vnicum in regnis suis
Sanctè docebunt: iam Magistri & Præsules
Facti Dynastæ gentium: vnum Principem,
Regemq; regum conditorem limpidi
Cœli, soliq;, & solis, & vasti maris,
Consentientes laudibus summum Deum
Trinumq;, iustis inuocabunt vocibus.
O sæculum quis te videbit floridum!
Sic sic nitebis clariùs sydus pium,
Beata Princepsq; vrbium Roma, ô potens
Arx, ô per omnes angulos clarissima,
Atq; orbis oras, inclyta ô Diuum Domus.
Lætamur igitur nos quoq;, ac iùstè arbitror,
Fæliciter quòd Principem vrbem adieris, &
Fæliciùs redieris isthinc, quòd iuuat
Audire, diuino fauore & gratiâ,
Fluxisse quicquid promis ex votis Tibi.

Lætamur, & congratulamur patriæ,
Ciues quod vrbi ſiſtat auguſtæ, viros
Virtute, factis nobiles, prudentibus.
Hæc laus Parentis noſtræ habetur maxima.
Ampliſsimè lætamur hinc cuncti tamen,
Quod ſoſpes adſis. vixeris fælix diu,
Præceptor optime, valeas rectè diu,
Viuidus, ad æternam Tonantis gloriam.